



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum Ultimum. Propter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

circumstantijs colligi debet, num id sub Lege comprehensum sit, necne.

1. Notandum quartum. Si dotario monasterij, v. g. sibi in Dicecesi, ab Episcopo facta sit, cum gravi damno Ecclesie Cathedralis, revocari potest, ac debet, cum ipso jure irrita fuerit, quippe à SS. Canonibus in hoc casu non concessa, sed prohibita. Si tamen tempore dotationis visum fuit, eam damnosam non esse, confiteri donatio, tamen postea contrarium se prodar. Verum tunc restitutionis in integrum beneficium concedi debet, uti *Abbas hic notat in fine Capituli*. Præterea si quadraginta anni post donationem rei immobilis ex tali causa factam lapsi sint, cum bona fide monasterij dotati, securum esse debet propter præscriptionem, sicuti hæc dicitur.

CAPITULUM ULTIMUM.

Propter.

PARAPHRASIS.

Donator propter ingratitude[m] ejus, in quem liberalitas collata est, donationem ex juris rigore revocare potest, si forte impius in eum manus injecerit, vel atrociores injurias, aut grave rerum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit: verum tamen si donator tacuit, seu revocandi voluntatem non expressit, successor ejus revocare non potest.

SUMMARIUM.

1. Ex quibus causis donatio revocari potest?

2. Hoc jus revocandi probabiliter non transit contra hæredem.

Notandum primum. Propter ingratitude[m] donatarij donatio revocari potest in quinque numeratis casibus, si causa in Judicio ostensa, & pro donatore judicatum sit. Sumptum est ex *L. ult. Cod. de revocandis donationibus*. & explicavi *lib. 3. tract. 4. c. 12. q. 5.*

Notandum secundum. Hoc jus revocandi donationem personale est, neque transit ad successorem donatoris. Ita *hic & in L. ult.* Sed nec ipsemet donator revocare potest donationem ab hærede donatarij ingrati, cum actio ista revocationis ex delicto nascatur, cujusmodi actio contra delinquentis hæredes non competit, nisi lis cum defuncto contestata fuerit. *L. unica C. de delictis defunctorum*. & ex communi tradit *hic Imola n. 2.* Non pauci tamen, ut *Joann. And. & Abb. n. 7.* existimant, si donator ignoravit, injuriam contra se commissam, quod agere possit adversus hæredem; imò etiam, quod hæres donatoris injuriam prosequi, atque donationem revocare possit: quæ, licet ex jure non satis ostendantur, tamen propter doctorum auctoritatem probabiliter dicuntur, & confirmantur ex doctrina *Gl. in L. fideicommissum 27. Cod. de fideicommissis. Gl. in L. loco rem 10. C. de his, quibus ut indignis.* & latius explicat *Mol. tra. 2. disp. 281.*

* * *

* * *



Qq 3

TITU.